



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De puella, quae inuidebat studio consoris, cap. 25

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

currit exemplum, quod vel memoria sit dignum, & ad  
 ædificationem necessarium. Referam tibi tamen quan-  
 dam sanctam inuidiam, quam te audire delectet.

## CAPVT XXV.

*Inuidia  
 facta.*

**A** NNO præterito in monasterio quodam or-  
 dinis nostri iuxta Frisiam, quod Iesse dicitur,  
 duæ paruulæ puellæ ad literas positæ fuerunt.  
 Quæ cum magno feruore discentes, satis inter se con-  
 tenderunt, vt vna alteri in studio & scientia superior  
 haberetur. Interim contigit vnâ infirmari, quæ cõ-  
 paris sui profectui inuidens, satis cœpit tentari, timēs  
 quòd interim multa discere posset, vocâsq; Prioris-  
 sam, cœpit illi supplicare, dicens: Bona domina, qua-  
 do venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex  
 denarios, quos vobis dabo, vt non patiamini discere  
 sororem meam donec conualuero: timeo enim, ne  
 præcellat me. Ad quod verbû subrisit Priorissa, puel-  
 læ feruorem satis admirans. **APOLLONIVS**: Dic obse-  
 cō quæ est medicina contra inuidiam. **CAESARIUS**:  
 Obsequia charitatis.

## CAPVT XXVI.

*Remedia  
 contra  
 inuidiã.*

**M** Agister Rudolphus Scholasticus Colonienfis,  
 quem ego bene noui, & frequenter audiui, disci-  
 pulos suos instituens, exemplum contra inuidos  
 docuit, dicens: Frater aliquis quendã ex fratribus suis  
 ita exosum habuit, vt sine cordis sui cruciatu illum re-  
 spicere non posset. Quod ille sentiens, & vulnus cor-  
 dis eius sanare cupiens, fratrem tam periculosè tenta-  
 tum, imo in ipsa tentatione omnino superatum, ob-  
 sequiis charitatis ad suum amorem, quantum potuit,  
 inclinavit. Capitale eius vertit & mollificauit, vestes  
 excussit, calceamenta circa lectum cõposuit, & quic-  
 quid ad illius commodum esse nouerat, in quantum  
 licuit & potuit, exhibuit. Sic ille inuidus obsequiis e-  
 ius deuictus, & ad cor reductus, conceptum inuidiæ  
 venenum exspuit, & quem prius oculo æquo respice-  
 re non potuit, plus postea cæteris dilexit. Hæc de vi-  
 tio inuidiæ pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia  
 i. Iaã. 4. cæteris Deo, qui charitas est, plus videtur esse contra-  
 rium,